



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm

Bosendorf, Hermann

Monasterii VWestphalorvm, 1615

Claudius, Asterius, & Neo pueri. 23. Aug.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42900

percussorem tuū prostratus interficis. Faceſſat igitur metus omnis tormentorū, quando breuiſſimo vitę curriculo propinqua meta finem imponit. Si hodie perduraueris fili, ad cęleſtem gloriam & ſupernam felicitatem felicifſima commutatione migrabis. Ita ergo S. Martyr extra muros eductus, à carnifice cęditur, & inter cęleſtes heroas accenſetur ſuo ſanguine purpuratus.

MARTYRIVM SS. CLAVDII, ASTERII
 & Neonis puerorum 23. Auguſtj
 Sur. Tom. 4.

A Pud Aegeam urbem, Lyſiæ præſidi pro tribunali ſedēti & Chriſtianos acri examine ad ſupplicia perquirenti oblati fuerunt ab urbis magiſtratu tres pueri, fraterno ſanguine & eximia pietate inter ſe coniuncti. Primus erat Claudius, qui à Præſide dijs ſacrificare iuſſus, animo planè virili & excelſo, nefarium facinus deteſtatus eſt, ſeq; intrepide ad virgarū iactus obtulit, eaſdemq; cōſtantiffimè pertulit. Tum in eculeo ſuſpenſum flammis torreri iubet, partesq; ex eius calcaneis præciſas illi ſpectandas offerri. Adhęc Claudius, Quiſquis Deum, inquit timet, nec igni nec tormentorum læditur violentia, quin potius patienter pro fide exantlata tormenta, ſalutem victoribus interminatā conciliant. Deinde ne tantillum quidem eo ſupplicio motum vngulis vexari iubet, At ille generoſo pectore præſidi inſul-

tans:

tans: faxo, inquit, isthac tolerãtia, vt te demo-
num esse patronum cuncti intelligant: Mihi
enim nec tantillum nocebunt cruciatus tui,
quibus tibi met infelix flãmas infernales par-
turis. Tum Præses: Testis, ait, asperrimis e-
ius latera radite, & candelas ardentis applica-
te. Interea Claudius animo exultans. Tuus, in-
quit, ignis ô tyranne funestum à me arcet in-
teritû, & salutem mihi gignit optabilem. Quæ
enim propter Deum perpetior, lucro incom-
parabili potiora duco, morsq; ipsa pro Chri-
sto tolerata ingens diuitiarum pondus cælesti
deponit ærario. Victus demum Lysias præq;
furore infrendens, Claudio in custodiã abdu-
cto, iussit adesse Asterium. Quem blanda voce
compellans: Vel tu, inquit, fili cõmoda fidem
dictis meis, & sacrificia dijs, vt supplicia rebel-
libus constituta effugias. Ad quæ Asterius: V-
nus mihi æternusq; Deus è doctrina parentum
colitur: quæ vero abs te adorantur dæmonia
perrennibus te supplicijs viuum mortuumq;
mactabûnt. His dictis in eculeum sublatus tor-
quebatur hortante Lysia, vt dijs immolaret:
Cui puer: Quin fratrem me agnoscis ipsius
quem modo interrogasti? vnus mihi cû ipso
est animus eademq; confessio. Quare vim om-
nem vt lubet in corpus exerce, quod tuæ po-
testati substernitur: animus vero tuis tormen-
tis lædi nescius, conatus tuos deridet. Tum
Lysias: Vngulas ferreas capessite, & pedi-
bus eius colligatis fortiter eum torquete, vt
corpo

claudio
i.

corporis animiq; sentiat cruciatus. Cui Asterius: Nescis inquit insane quantam mihi compares gloriam, dum æggeras pœnam. Iubente igitur Lysia carbones ardentés pedibus eius substernuntur, & virgis ac neruis durissimis dorsum venterq; eius conscinditur. Quo facto inquit Asterius: Tu quidem plane cæcus es: sed vnum abs te peto, vt nullam corporis mei partem vulneris esse expertem sinas. Deniq; Asterio in carcerem abducto, Neon frater eorum tertius sistitur. Ad quem Lysias: vel tu fili accede, & facto dijs sacrificio à pœnis te immunem serua. Neon respondit: Dij quorum tu iactas numina, suapte se potentia, si qua illis inest virtus, tueantur, nec tuo imbecillioris se vindicent patrocínio. Sin vero malitiæ eorum socius es, multo equidem mihi videor te tuisq; dijs melior existere, quod vobis minimè obtemperans supremi conditoris numen pia veneratione prosequor. Tum Lysias eo pueri responso grauiter commotus: Frangite, inquit, ceruicem eius & dicite: Noli blasphemare deos: Neo ait: Itane tibi blasphemus videor, sincerissimæ veritatis assertor? At Lysias: Extendite eum & carbones ardentés in eum conijcite, & neruis dorsum cõscindite. Quo peracto Neon ait: Frustra conaris me de sententia dimouere, non enim vtilitatem meam atq; animæ lucra turpi dispendio prodigam. Videns itaq; Lysias se puerorum constantia superatum, hanc in eos sententiam dictauit,

claudio
tem C
mart
nas F

P V

B
mo
Rhe
nitu
ctæ
tute
Cast
mè
nur
can
mo
us p
bor
mi
ini
dij
lic
ve
ch
cer
mi
di
ter

stavit, vt foris ante atrium Cruci affixi mor- Omnes in
tem subirent. Atq; hoc certamine gloriosi crucem
martyres trophæis victoriæ inclyti ad coro- aguntur.
nas feliciter euolarunt.

PVERITIAS. LVDOVICI REGIS

Francorum 25. Aug. Sur. Tom. 4.

BEatus Ludouicus Rex Francorum longè
pijsissimus, patre Ludouico Christianissi-
mo natus, anno ætatis suæ circiter duodecimo
Rhemi ab Episcopo Sueffionensi, regia infig-
nitus corona, & consecratus fuit. At puer san-
ctæ indolis, itrenuissimo patre orbatûs, sub
tutela & moderatione matris Blanchæ regis
Castellæ filia permansit: quæ illum tenerrimè
diligens ex consilio religiosorum homi-
num, præsertim Dominicanorum & Franciscanorum
singulari cuidam magistro tradidit
moribus ac literis instituendum. Ille vero pi-
us puer, & velut alter Salomon, ingeniosus &
bonam sortitus animam, præ coætaneis suis
mirè in vtrifq; profecit. A primis enim ætatis Mundus
initijs, deditus fuit pietatis & sanctitatis stu- ab omni
dijs, ferturq; vitam omnem absq; mortiferi a- noxæ mor-
licius peccati perpetratione exegisse. Eius tali.
vero sanctitati non rarò congratulans Blan-
cha mater: Mallem, aiebat, fili te mortuum
cernere, quam creatorem tuum mortali cri-
mine offendentem. Quæ verba vsq; adeo cor-
di ipsius inhæsere, vt diuina ipsum gratia pro-
tegente, nunquam in se eiusmodi crimen ad-
miserit.